SERENISSIMO POTENTISSIMOQVE HEROI FRIDERICO IIII. S. R. Imperij *Archidapifero, & Electori, Comiti Pal. Duci Bauariæ, &c. Domino meo clementiſsimo.*

NIHIL præſtantius, nihil omnino homini laudabilius eſſe, quam de hominum genere quoquomodo poſſimus bene mereri, eamq́; cognitionẽ quam à natura habemus, noſtra quoque opera arctius aſtringere, clarius eſt (Sereniſſime Princeps) quàm vt multis argumentis egeat. Id ego diligenter perpendens, dedi ab ineunte ætate operam, omniq́; conatu eò reſpexi, vt pro virili Reipub. inſeruirem.